



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Illvstrivm Miracvlorvm Et Historiarvm Memorabilivm Lib. XII

Caesarius <Heisterbacensis>

Antverpiae, 1605

De virgine, quae per Angelum liberata est à stimulo carnis, cap. 42.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13177

*Angelo-
rum visi-
nisteriū
utile esse
hominibus.*
2 Cor. 12

IN Francia virginem quandam religiosam & inclusam satanas grauissimè per stimulum carnis colaphizauit: illa nesciens virtutem in infirmitate perfici, iugiter cum multis lacrymis Deum rogauit, quatenus eius pietate à tam immunda tentatione mereretur liberari. Cui cum die quadam oranti angelus Domini apparuisset visibiliter, dixissetque: Vis ab hac tentatione liberari? & respondisset illa: Volo Domine, volo; cœlestis nuncius subjunxit: Dic versiculum istum Psalmi, *Confige timore tuo carnes meas, à iudiciis enim tuis timui, & liberaberis.* Angelo verò recedente vel potius disparente, illa versiculum cecinit, & mox tentatio cessauit. Mira res: Fugato spiritu fornicationis, statim accessit spiritus blasphemiar, à quo tanto fortius quanto periculosius tentabatur: cepit enim dubitare de Deo & fide Christiana. Tunc magis quam prius misericordiam diuinam inuocans, se à tā nefanda tentatione liberari cū lacrymis orauit. Tunc angelus Domini secundò ei apparens ait: *Quomodo habes modò soror? Respondit illa; Nunquam peius Domine, & angelus: Putas te posse viuere sine tentatione? necesse est vt alteram istarum habeas, elige quā volueris. Ad quod virgo respondit: Domine si hoc necesse est, eligo primam tentationem, licet enim fuerit immunda, humana tamen erat; ista verò, quam nunc patior, prorsus diabolica est, cui angelus: Dic versiculum istum; Feci iudicium & iustitiam, non tradas me calumniatoribus me; & liberaberis: quod cum fecisset post angeli discessum, blasphemiar spiritus eam deseruit, & stimulum carnis recepit.* **APOLLONIVS:** *Quis tibi angelus videtur iste fuisse? CAESARIUS:* *Eius, vt puto, proprius, qui illam maluit in carne tribulari, quam non mereri: tentatio enim custos est humilitatis, & materia exercendæ virtutis. Virginibus, & eis qui non peccauerunt, inanis gloria atque superbia importuniores esse consueuerunt. Quam sollicitè sancti angeli sibi commissorum opera bona considerent, vt Deo illa representent, sequens sermo declarabit.*

Psal. 118

CA-